

singulis annis pendere Ferdinandus deberet. Utrunque Venetorum mentio facta, cautumque, ut, si quis eorum, qui hoc fœdere comprehenderentur, bellum alteri inferret, pro hoste a reliquis haberetur. Iisdem induciis Henricus Galliarum Rex, ceterique Principes, etiam sacri continebantur; in quibus sancendis eo studio a summis Regibus, eaque animorum contentione certatum fuerat, ut Cæsar ad Francisci Regis pollicita præstanda Henricum filium obstringi peteret; Henricus contra, ne Cæsari induciarum tempore in quemquam Christianorum Principum arma inferre liceret, cavendum curaret; legatumque Cotonium magnis itineribus Byzantium mitteret, ut totum induciarum negotium inverteret; cum nullam aliam ob causam Cæsarem illas expetivisse, quam ut, Byzantino metu solutus, Gallias invaderet, affirmaret: neque ferendum esse, ut qui tot prosperis eventis brevi tempore tantas accessiones Imperio fecisset, adeo præemineret, ut ejus dominandi libidinem, quam pro lege haberet, reliqui damno, quod refarciri non posset, subire cogerentur. Eodem officii genere, Venetias in Byzantii itinere accedens, cum Patribus functus est, ut Senatum ad inducias impediendas incitaret; quem ab ea re cum alienum esse intelligeret, iter profectus, re confecta, Byzantium pervenit, atque a Suleimano literas ad Cæsarem, ac Ferdinandum obtinuit, quibus libenter ad inducias ea mente descendisse diceret, ut armis eo tempore non ageretur; in eos, qui secus fecissent, bellum moturum. Regi quoque Galliarum scripsit, se induciis perficiendis illum inter veteres amicos recensuisse; si bello interim a Cæsare lacefferetur, eidem hostem futurum. Licet vero quæ ad Rempublicam inter amicos recensendam spectarent, ea tantum Senatus procurasset; attamen quin suspicione aliqua æmuli Principum animi aspergerentur, vitare nequii; cum Henricus Cæsaris, ac Ferdinandi res curæ magis Senatui fuisse diceret, quam suas; atque acerbe conquereretur, Venetum legatum literas ad Senatum dedisse, quibus sui nullam in induciis conficiendis mentionem factam fuisse affirmaret. Cæsar vero, ut ad pacem cum Henrico arctius servandam obstringeretur, id totum ex Venetorum consiliis, atque officiis profectum agebat; ut inde renovandi in Italia belli, quod illis

1548

*Henricus
Galliæ Rex
Cotonium
oratorem
Byzantium
mittit*

*Suleimani
ad Cæsarem
& Ferdinandum
Regem literas*

per-